



Tractatvs De Sacramentis Et Censvris

Hurtado, Gaspar

Moretus, 1633

Tractatvs De Depositione Et Degradatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94788](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94788)

TRACTATVS DE DEPOSITIONE ET DEGRADATIONE.



DEPOSITIO est priuatio Ecclesiastica ab omni officio & beneficio Ecclesiastico, in perpetuum, absque spe restitutionis, retento priuilegio Canonis & fori, quæ etiam dicitur Degradatio verbalis. Degradatio verò realis, seu actualis (quæ absolute & simpliciter dicitur Degradatio) est priuatio, quæ depositus, seu verbaliter degradatus, priuatur solemniter omni officio & beneficio Ecclesiastico, omnique priuilegio Clericali, in perpetuum, & absque spe restitutionis, vt constat ex c. 2. de Pœnis, in 6. Vnde degradatio actualis seu realis est sollemnis executio depositionis, & super eam addens priuationem Clericalis priuilegij, quæ, vt deducitur ex Tridentino sess. 13. c. 4. de Reformat. tantum potest fieri ab Episcopo consecrato: depositio verò fieri potest à Iudice ordinario generali, ac proinde ab Episcopo confirmato à Papa, quamuis non consecrato, & à Vicario generali illius, quando depositio est Sacerdotis non Episcopi, quia depositio Episcopi tantum fieri potest à Papa.

Quia verò priuatio, quæ fit depositione & degradatione, quamuis feratur ob peccatum commissum, non fit in punctionem illius, ideo depo-

sitio & degradatio non sunt censuræ, quia scilicet non sunt pœnæ. Depositio enim, quamuis lata ob peccatum, non fit vt eâ puniatur peccatum, sed fit ad euitandum nocumentum, quod posset Ecclesiæ euenire, si persona, quæ tale peccatum commisit, non deponeretur; & degradatio fit ad euitandam ignominiam, quæ eueniret statui Ecclesiastico, si vir Clericali dignitate insignitus traderetur brachio sæculari, non facta degradatione, & non fit ad puniendum peccatum.

Constat ergo, quod quamuis depositio in eo conueniat cum suspensione, quod vtrique sit priuatio solis Clericis conueniens, ab ea tamen differt Primò, quod depositio non sit pœna, suspensio verò sit pœna. Secundò, quod depositione non tantum impeditur vsus, sed etiam aufertur potestas, quæ potest ab Ecclesiâ auferri, & quæ auferri non potest, vt potestas Ordinum quali aufertur habendo personam quasi inhabilem & ineptam ad vsus; suspensione verò tantum impeditur vsus potestatis. Tertiò, quod depositio semper fit in perpetuum, absq; spe restitutionis, suspensio verò non semper, quamuis fieri possit; & quando fit, saltem distinguitur à depositione quoad duo priora iam dicta.

TRACTATVS DE INTERDICTO. DIFFICVLITAS PRIMA.

Quid sit Interdictum.



IN nomine ipso exordiamur, interdictum non sumitur in presenti generaliter pro prohibitione superioris in quacumque materia, sed sumitur specialiter pro quadam pœna priuatiua diuinorum, imposita per modum censuræ, vt sumitur in cap. Querenti. 20. de Verborum significatione.

Ad rem ergo accedendo, interdictum est censura, quæ prohibetur diuina officia, & certa sacramenta altius & passim, & Ecclesiastica sepultura. Est autem interdictum censura, vt constat ex cap.

Querenti. 20. de Verborum significatione, quia est pœna medicinalis, bono spirituali priuans, & continetur sub censura tamquàm sub genere: in quo conuenit interdictum cum alijs censuris, nempe cum excommunicatione & suspensione, vt constat ex dicto cap. Reliquæ verò particule ponuntur pro differentia, quia eis differt ab excommunicatione & suspensione, quia excommunicatio priuat omnibus dictis quibus priuat interdictum, & etiam alijs, & suspensio non priuat omnibus quibus interdictum, priuat tamen aliquibus ex illis, & etiam alijs, & eisdem quibus priuant excommunicatio, suspensio & interdictum non priuant eodem modo, sed diuerso. Ex quo differentia quasi specifica inter excommunicationem, sus-

pensionem & interdictum, desumitur: quia excommunicatio priuat illis vt pertinent ad communicationem communem fidelium, & suspensio quatenus sunt vsus & exercitium potestatis Clericalis, interdictum verò priuat illis secundum se, quatenus sunt quedam bona quæ possunt participari seu haberi.

DIFFICVLITAS II.

Quotuplex sit Interdictum.

Interdictum est triplex: quia aliud est personale, quod scilicet immediate afficit personam, ei prohibendo participationem diuinorum in omni loco: & aliud est locale, quod scilicet quasi immediate afficit locum, & personas mediatè, ratione videlicet loci, quia scilicet sunt in eo loco, prohibendo ne in eo diuina fiant; aliud est mixtum, quod continet personale & locale, quo personæ & locus interdicuntur, quod verè est vnum tertium locum & contra personam latum.

Deinde interdictum tam personale quam locale est duplex, alterum est generale, & alterum speciale seu particulare.

Interdictum personale generale est, quo inter-

ff dicitur